



## The Holy See

---

### IOANNES PAULUS PP. I LITTERAE APOSTOLICAE *DOCUMENTIS QUIDEM* CAMPITEMPLENSE PAROECIALE RONCOVILLAE TEMPLUM

**EVEHITUR AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS** Ad perpetuam rei memoriam. – Documentis quidem probatur paroeciale templum B. M. V. Visitationi dicatum, quod Roncovillae exstat intra dioecesis Campitemplensis fines, cum a prima ipsius structura reliquis deinceps saeculis induisse artis speciem quae usque ad Baroci generis aetatem in morem venisset, sed etiam restitutum crebro ipsum esse et ampliatum usque ad praesens. Quod vero pluris interest, memoriae proditum est complures quotannis Christifideles ex variis dioecesibus Voralbergensibus necnon ex finitimis Italiae et Helvetiae regionibus peregrinantes praeclarum id templum obire solitos esse peculiaris erga B. M. V. pietatis causa. Quae cum ita sint, cumque in eodem paroeciali templo sive sueta ministeria expediantur pastoralia sive incepta caritatis foveantur, Nos precibus venerabilis Episcopi Campitemplensis assentiendum esse censemus, qui, sua ipse sui que cleri ac populi vota expromens, nuper petiit ut praestabile, quod diximus, templum honore tituloque Basilicae Minoris decoraretur. Quare, Nobis propositam confirmantes sententiam Congregationis pro Cultu Divino, summa potestate Nostra Apostolica per has Litteras perpetuumque in modum memoratam sacram aedem B. M. V. Visitationi pie dedicatam ad gradum et honorem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus ei traditis iuribus et privilegiis ceterorum id genus templorum propriis, servatis tamen servandis ad mentem Decreti «de titulo Basilicae Minoris» die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII evulgati. Contrariis haud obstantibus. Iubemus denique has Litteras Nostras religiose observari suosque nunc et in posterum effectus habere. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Februarii, anno MCMLXXXV, Pontificatus Nostri septimo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1985 - Libreria Editrice Vaticana

---